

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[CollectionBoite_013 | Bibliographies diverses. Pauvreté. Hermaphrodites. Anormalité. Criminalité. Onan](#)[CollectionBoite_013-5-chem | Marie Le Marcis. Item](#)[\[Le costume de Nature Alain de Lille, 3\]](#)

[Le costume de Nature Alain de Lille, 3]

Auteur : Foucault, Michel

Présentation de la fiche

Coteb013_f0510

SourceBoite_013-5-chem | Marie Le Marcis.

LangueFrançais

TypeFicheLecture

RelationNumérisation d'un manuscrit original consultable à la BnF, département des Manuscrits, cote NAF 28730

Références éditoriales

Éditeuréquipe FFL (projet ANR *Fiches de lecture de Michel Foucault*) ; projet EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle).

Droits

- Image : Avec l'autorisation des ayants droit de Michel Foucault. Tous droits réservés pour la réutilisation des images.
- Notice : équipe FFL ; projet EMAN (Thalim, CNRS-ENS-Sorbonne nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR).

Notice créée par [équipe FFL](#) Notice créée le 18/03/2021 Dernière modification le 23/04/2021

Illic pica, dubio picturata colore, curam logices perennabat insomnem. Illic monedula, latrocinio laudabili reculas thesaurizans, innatæ avaritiæ argumenta monstrabat. Illic columba, dulci malo inebriata Diones, laborabat Cypridis in palæstra. Illic corvus, zelotypiæ abhorrens dedecus, suos foetus non sua esse pignora fatebatur, usque dum comperto nigri argumento coloris, hoc quasi secum disputans comprobatur. Illic perdix nunc aeris potestatis insultus, nunc venatorum sophismata, nunc canum latratus propheticos abhorrebat. Illic anas cum ansere, sub eodem jure vivendi, hiemabat in patria fluviali. Illic turtur, suo viduata consorte, amorem epiligare dedignans, in altero bigamiæ refutabat solatia. Illic psittacus cum sui gutturis incude vocis monetam fabricabat humanæ. Illic coturnicem, figuræ draconis ignorantem fallaciam, imaginariæ vocis decipiebant sophismata. Illic picus, propriæ architectus domunculæ, sui rostri dolabro clausulam fabricabat in ilice. Illic curruca, novercam exuens, materno pietatis ubere alienam cuculi prolem adoptabat in filium; quæ tamen capitali præmiata stipendio, privignum agnoscens, filium ignorabat. Illic hirundo, a sua peregrinatione reversa, sub trabe nidi lutabat hospitium. Illic philomena, deflorationis querelam reintegrans, harmoniaca tympanizans dulcedine, puritatis dedecus excusabat. Illic alauda, quasi nobilis citharista, non studii artificio, sed Naturæ magisterio, musicæ prædocta scientiam, citharam præsentabat in ore, quæ tonos in tenues subtilizans particulas, semitonia usque in gumphos indivisibiles dividebat. Illic vespertilio, avis hermaphroditica, ciphri locum inter aviculas obtinebat. Hæc animalia, quamvis illic quasi allegorice viverent, ibi tamen esse videbantur ad litteram.

Sindo, in virorem, adulterato candore quam puella inconsutibiliter ipsa postmodum dicente texuerat, non plebea vilescens materia, artificio subtili lasciviens, pallii gerebat officium; quæ multis intricata implexionibus, colorem imaginabatur aquatilem. In qua supra animalis naturam aquatilis, multifarias particulatam in species, fabula commentabatur picturæ. Illic cetus rupibus contendens, suæ scopulo

BnF
MSS

